

nis, vigore statuti laicalis debitæ pro fructibus ex eisdem bonis recollectis Romam convehendis pro eorum usu. — 20. Clericus non tenetur ad impositionem capitacionis ex bonis, et redditibus patris, cuius impensis vivit. — 21. Clerici non gaudent privilegiis patrimonii ecclesiastici pro bonis ad suscipiendos ordines sacros eis assignatis, donec non fuerint in sacris ordinibus constituti: si vero dicta bona fuerint translata in possessionem eorundem Clericorum sine fraude, gaudent, ut cætera bona Clericis acquisita ante susceptionem sacrorum ordinum. — 22. Clerici et ecclesiastici sunt exempti a tributis impositis causa belli, pestis, et huiusmodi, nisi concurrant requisita cap. *Non minus* 4. et cap. *Adversus* 7. de immunit. — 23. Item sunt exempti a tributis impositis pro novis muris civitatis ædificandis, et pro refectione aggerum. — 24. Item pro excavatione alveorum, et fovearum. — 25. Item pro refectione pontium. — 26. Item pro reparatione fluminum. — 27. Item pro introducenda aqua in civitatem. — 28. Item pro defensione arcium. — 29. Ut Clerici licite solvant collectas, et impositiones laicorum, sex requiruntur. — 30. Primo requiritur, ut Episcopus simul cum Clero super hoc deliberent, et consentiant, unde hoc non potest Episcopus sine Clero, nec Clerus sine Episcopo. — 31. Quo fit, ut neque cum capitulo Episcopus id possit. — 32. Secundo requiritur, ut evidens utilitas, vel necessitas subsit. — 33. Et hæc necessitas, vel utilitas quanta esse debeat, ut Clerici licite solvant collectam pro subsidio laicorum, spectat ad Episcopum, et Clerum iudicare. — 34. Tertio requiritur, ut huiusmodi necessitas, vel utilitas sit communis. — 35. Quarto requiritur, ut ad solvendas communes utilitates, vel necessitates non sufficiant solæ facultates laicorum. — 36. Quinto requiritur, ut contributio ab Episcopis fiat sponte, et sine aliqua exactione et compulsione. — 37. Semper enim exactio pecuniarum ab ecclesiasticis in similibus casibus est facienda a ministro deputando ab Episcopo, ut pluries censuit Sacra Congregatio immunitatis. Imo sæpius iungitur Episcopo, ut non permittat laicos exigere per se ipsos contributiones ab ecclesiasticis causa belli, et exacta restituere faciat. — 38. Sexto requiritur, ut Romanus Pontifex prius consulatur. — 39. Etiam quando contribunt pro rata commodi particularis, et privati. — 40. Clerici non tenentur custodias facere occasione suspensionis Turcarum, nisi concurrente præcisa necessitate. — 41. Nec tenentur ad onus unius ligni pro qualibet sarcina ob servitium arcis. — 42. Nec ligantur bannimentis magistratus sæcularis de petenda licentia accedenti ad proprias vineas tempore vindemiarum; sed quando ista bannimenta sunt necessaria pro publica utilitate, et necessitate, Episcopus potest providere mediante suo edicto. — 43. Clerici, et ecclesiastici non sunt subjecti oneribus, atque talis ordinariis impositis ad favorem principis; nec tenentur ad consignationem frumenti, et aliorum fructuum faciendam principi laico. — 44. Unde tempore penuriæ, ut dicitur, *le rassegne* frumentorum, et bladum ecclesiasticorum faciendæ sunt per ecclesiasticos curiæ episcopalis, et ab Episcopo arbitranda est quantitas, qua indiget unusquisque ecclesiasticus; frumentum vero et bladæ asservantur in loco ipsi Episcopo benevisio, et sub custodia deputati ab ipso Episcopo; quod intelligendum de iis tantum provinciis, ubi hic mos viget. — 45. Unde prodit rescriptum, quod contra edictum senatus super notificatione frumentorum, et visitatione horreorum comprehensivum ecclesiasticorum, uti læsivum immunitatis, libertatis, et jurisdictionis ecclesiasticæ, Episcopi tueantur ecclesiasticos; et desuper dantur litteræ circulares. — 46. Sic perquisitio frumentorum in locis immunibus est prorsus prohibita laicis. — 47. Non est permittendum ecclesiasticos compre-

hendi in prohibitione laicorum vendendi, et emendi frumenta, sed urgente necessitate potest ordinarius peculiari suo edicto ecclesiasticis prohibere. — 48. In venditione frumenti bladum, et similia, Clerici, et ecclesiastici non tenentur servare taxam, et alias ordinationes editas a potestate laica, sed Episcopus sua ordinatione constituit eamdem taxam pretii iusti, et contra transgressores procedat. — 49. Episcopus potest in casu necessitatis proprio edicto statuere pretium frumenti ecclesiasticorum, eosque cogere ad venditionem; reservata tamen pro usu, et sustentatione ipsorum, æqua et proportionata quantitate. — 50. Imo iungitur Episcopo, ut pro currenti anno attentam gravissimam penuriam præfigat, proprio edicto iustum pretium frumento ecclesiasticorum, et obliget auctoritate Sacre Congregationis ecclesiasticos tam sæculares, quam regulares ad venditionem frumenti, reservata tamen pro usu, et sustentatione eorum, ea quantitate, quæ æqua, et proportionata, omnibus consideratis, ab eodem Episcopo reputata fuerit. — 51. Quatenus Episcopus iudicet talem esse penuriam frumenti, ut sit expediens prohibere ecclesiasticis extractionem, eam prohibeat proprio edicto, nulla facta mentione, vel habita relatione ad edictum laicale. — 52. Mandatur Episcopis, et Archiepiscopis regni, ut attentam penuriam vendant eorum frumenta, et respective vendere faciant a propriis ecclesiasticis, pretio tamen per eosdem cum emptoribus concordato; et quatenus non concordent, vendant pro pretio iusto iudicato arbitrio Episcoporum. — 53. Nuncio Neapolis scribitur non esse extendendam facultatem extrahendi frumenta, ita, ut etiam cum deputatione personæ ecclesiasticæ minime liceat commissario regio extrahere frumenta recondita in locis immunibus, etiamsi fortassis empta contra formam pragmaticam. — 54. Gubernator non potest cogere ecclesiasticos ad asportandum in horrea publica partem suorum frumentorum, imo ob edicta gubernatoris læsiva libertatis ecclesiasticæ proceditur contra eumdem. — 55. Clerici, et ecclesiastici non possunt cogi ire ad molendinum domini temporalis, seu communitatis; sed possunt ire ad alia sibi benevisa. — 56. Prohibitio communitatis eundi ad alia molendina, quam ad molendina ipsius communitatis, non comprehendit molendina Episcopi, ecclesiarum, et ecclesiasticorum, tam intra, quam extra communitatis territorium existentia; et communitas est cogenda ad declarationem non comprehensionis. — 57. Ecclesiasticorum molendina non comprehenduntur sub hannis gubernatoris, qui debet facere declarationem de non comprehensione eorum. — 58. Ecclesiasticorum molendina, ac molentes in ipsis molendis non comprehenduntur sub prohibitione laicali solvendi gabellam, ut dicitur *della Pesa*. — 59. Repugnat immunitati, et libertati ecclesiasticæ exactio oneris molituræ in molendis ecclesiasticorum, et equitum S. Mauritii, nec non publicatio ordinis prohibitivi eundi ad dicta molendina. — 60. Edicta prohibentia ire ad certa molendina, afficere nequeunt ecclesiasticos. — 61. Edicta curiæ laicalis prohibentia laicis molere olivas in molendis ecclesiasticorum sunt revocanda. — 62. Impedientes molere olivas in molendis ecclesiasticorum, et prætendentes decimas, sunt ab ordinario excommunicandi. — 63. Edictum penale baronis prohibens suis subditis, ne utantur molendino monachorum Cisterciensium, revocari cogit Episcopus. — 64. Episcopus procedat prout de iure contra ministros laicos impedientes moniales in fabricatione molendini olearii. — 65. Clerici, et ecclesiastici sunt exempti ab impositione molituræ. — 66. Non licet gubernatori, seu curiæ sæculari visitare, seu perquisitiones facere in molendis monialium, et aliorum piorum locorum. — 67. Clerici, et ecclesiastici sunt omnino exempti ab onere hospitandi milites. — 68. Etiam in bonis patrimonialibus pro sua portione, et virili. — 69. Episcopus non permit-

tat hospitalitatem equorum militarium in atriis, et cortilibus monasterium monialium. — 70. Ministri publici civitatis, qui violenter fecerunt reponi fenum in claustris monialium, incidunt in excommunicationem; et quando absolventi. — 71. Officiales, et milites prævia reintegracione Ecclesiæ et concensu partis absolventur ob violatam hospitalitatem in domo canonicali. — 72. Clerici, et ecclesiastici sunt immunes a gabella chartæ sigillatæ, seu bullatæ, et ab expensis novæ mensurationis bonorum ad instantiam communitatis factæ. — 73. Clerici, et ecclesiastici sunt exempti a collectis pro portione bonorum ad eos spectantium, non pro portione matris, fratrum, et sororum, ac conjunctorum, nisi isti vivant cum ipsis ecclesiasticis, et expensis eorundem ecclesiasticorum. — 74. Ecclesiastici ementes bona cum pacto solvendi onera, non tenentur ad onera personalia, sed tantum ad onera realia, quæ sint certa, et invariabilia, et ante venditionem imposita. — 75. Clerici, et ecclesiastici non tenentur ad solutionem oneris nuncupati *il Tasso della Cittadella*. — 76. Clerici et ecclesiastici sunt taliter exempti a gabellis laicalibus, ut nec etiam sponte possint illas solvere sine beneplacito apostolico. — 77. Unde sponte solventes impositiones laicales absolventur a censuris. — 78. Ecclesiastici vendentes, et ementes vinum, non tenentur ad gabellam desuper impositam. — 79. Ecclesiastici possunt libere vendere triticum, et vinum in suis prædiis collectum. — 80. Insuper Clerici, et ecclesiastici possunt vinum recollectum in propriis bonis vendere etiam minutatim in suis domibus, absque eo quod teneantur ad gabellam. — 81. Quinimo ne dum tenentur ad gabellam pro vino minutatim vendito, sed et pignus desuper factum est iis restituendum. — 82. Edictum præcipiens describi omnes personas sui status, non comprehendit ecclesiasticos, nec personas exemptas. — 83. Archiepiscopus prohibeat Clericis suæ diocesis sub comminatione censurarum, ut non pareant mandatis Iudicis laici de exhibenda nota propriorum nominum, patriæ, qualitatis, etc. — 84. Edictum gubernatoris Mediolani circa omnes censualistas, nequit afficere loca pia. — 85. Edictum regium quoad taxas impositas causa monetæ novæ, non afficit ecclesiasticos. — 86. Ad instantiam tamen Regis Catholici Sacra Congregatio explicit Sauctissimi concedit approbationem Donativi extraordinarii ecclesiasticorum in regno Sicilia; dummodo erogetur in causa monetæ novæ. — 87. 94. An Clerici obligentur statutis laicorum, quorum materia Clericis æque ac sæcularibus communis est, neque privilegiis ipsorum Clericorum repugnat.

ARTICULUS VIII. — Clericus, quoad obedientiam, et subjectionem Episcopo.

1. Clerici non possunt cogi ab Episcopo ad præstandum aliquod servitium non expressum in iure. — 2. Per hoc fuit alias responsum, Episcopum Burgi S. Donnini potuisse quidem invitare, sed non compellere Clericos suæ civitatis, ut interessent litanis Beatissimæ Virginis, quæ in Sabbato decantari iusserat in sua cathedrali ecclesia. — 3. Et alias responsum est, Clericos non habentes officium, neque beneficium ecclesiasticum cogi non posse ab Episcopo ad publicas processiones accedere. — 4. Sic etiam simplices sacerdotes non habentes officium, neque beneficium in ecclesia cathedrali non possunt per Episcopum cogi ad idem, et Canonici inserendum in functionibus ecclesiasticis, seu munere Diaconi, et Subdiaconi in Missis cantatis, non obstante exiguo numero Canonico. — 5. Sola enim potestate ordinaria Episcopus hoc præcipere, et statuere nequit; nec minus multos presbyteros simplices non de gremio capituli, si non inseriant, gravare. — 6. Nisi adesset contraria consuetudo. — 7. Vel nisi ageretur de Clericis pro necessitate, et utilitate cathedralis ad titulum patrimonii ordinatis. — 8. Et dato, quod ob parvum nume-

rum Canonico, et deficientiam mansionariorum, servitium ecclesiæ cathedralis detrimentum patretur, tunc erit recurrendum ad Sacram Congregationem Concilii, quæ solet indulgere, ut possint cogi presbyteri, qui habent beneficia, vel capellanias in cathedrali ad inserendum Missis solemnibus pro Diacono, et Subdiacono, assignata illis aliqua emolumentorum portione. — 9. De se enim, et sola sua facultate ordinaria nequit Episcopus compellere Clericos, et sacerdotes habentes beneficia, personalem residentiam non requirentia; et tanto minus Clericos non Beneficiatos, ut ecclesiæ cathedrali inserviant, neque pro solis diebus festis. — 10. Simples sacerdotes non possunt compelli ad interessendum, et assistendum functionibus ecclesiasticis in cathedrali. — 11. Clerici, aliæ presbyteri non confessarii cogi non possunt, sed hortari ad interessendum conferentis casuum conscientia; ad n. 12. — 13. Episcopus non potest Clericis beneficiatis addere nova onera in fundatione beneficiorum a fundatoribus non apposita, aut a sacris Canonibus non imposita. — 14. Neque alio modo testatoris voluntatem immutare. — 15. Neque de consensu patronorum potest Episcopus nova onera addere Clericis beneficiatis. — 16. Etiamsi aliquo tempore ex sua voluntate præstiterint. — 17. Et etiamsi consensus Canonico, seu beneficiatorum antecessorum interessisset. — 18. Episcopus non potest a clericis exigere charitativum subsidium, nisi sit pauper; unde qui habet congruam excedentem taxam Concilii non potest illud exigere. — 19. Episcopus non potest exigere charitativum subsidium a Clericis non beneficiatis. — 20. Episcopus non potest cogere Clericos in minoribus constitutos ad suscipiendos ordines majores sub pena privationis privilegiorum clericalium. — 21. Clerici sæculares transire possunt ad religionem non petita Episcopi licentia; imo et ipso contradicente. — 22. Clerici omnes, imo et laici quantumcumque potentes, tenentur Episcopo præstare canonicam obedientiam. — 23. Clerici peregrinari non debent, nisi de licentia Episcopi. — 24. Clerici non possunt testimonium iudiciale perhibere in foro sæculari sine licentia sui Episcopi. — 25. Et Episcopus permittere debet, ut presbyteri pro causis civilibus in foro sæculari examinentur, dummodo ex eo aliquo modo criminalitas exoriri non possit; et iuramentum in tribunali Episcopi præstetur. — 26. Licentia autem, quæ per Episcopum Clericis testimonium ferendi in foro laico conceditur, gratis expedienda est. — 27. Clericus sponte deponens sine licentia coram iudice laico, potest ab episcopo puniri pena arbitraria. — 28. Episcopus in delictis difficilis probationis sibi notis potest extrajudicialiter, et sine processu Clericos, et presbyteros a divinis suspendere. — 29. Episcopus potest de facto absque judiciali monitione excommunicare Clericos, sive laicos, qui se opponunt visitationi. — 30. Et cæteros, qui solita obsequia ei injuriose denegant. — 31. Clericis ne ad sacros, et superiores ordines ascendant, prohibere potest Episcopus de occulto eorum crimine ex informata tantum conscientia conscius, sicut eo modo suspendere Clericos a divinis. — 32. Episcopus vetare non debet Clericis sæcularibus transitum ad claustra regularia. — 33. De iure simplices presbyteri, qui de redditibus Ecclesiæ non participant, cogi ab Episcopo nequeunt ad ullum ipsi servitium præstandum. — 34. 35. Quid hac de re staverit Concilium Romanum. — 36. Clericus quoad ordines. *Remissive*. — 37. Ex mente Ecclesiæ Clericis tonsura confertur, ut per eam militiæ Christi adscribantur. — 38. Oppositum est vocationi clericali, otiosam esse ac inertiem Clericorum vitam. — 39. Hinc jam pridem Ecclesia sollicita fuit, ne quis in Clericum, assumeretur, nisi certo loco adscriberetur. — 40. Affertur ad hoc. *Canon* 6. Concilii Chalcedonensis. — 41. Ab hac regula excipiuntur in universitate aut seminario degentes. — 42. Triplici modo Clerici possunt certæ

Ecclesiae adscribi. — 43. Semel ac quis alicui Ecclesiae adscriptus est, ita eidem alligatur, ut eam inconsulto Episcopo nunquam deserere possit. — 44. Quae disciplina juris communis partem hodieum constituit. — 45. Ita ut nec Episcopis alienos Clericos sine licentia proprii Episcopi suscipere ex canonibus unquam licitum esse possit. — 46. Quam odiosae semper fuerint Clericorum de una ad aliam Ecclesiam migrationes. — 47. Clerici ad ordines promoveri non possunt, nisi a proprio Episcopo. — 48. Nec huiusmodi promotio peragi valet, nisi ad titulum illius Ecclesiae, cui Clerici sunt adscripti. — 49. Titulus ordinationis quonam sensu acceptus fuerit. — 50. Cumpatrimonii titulus invaluerit titulus ecclesia-

ARTICULUS I.

Quoad ea, quae concernunt Clerici nomen, habitum et tonsuram.

(1. Clerici nomen venit a verbo Graeco *Cleros*, quod Latine *sors*, seu *haereditas* dicitur; c. *Cleros* 1. *Distinct.* 21. ibi: « Cleros et Clericos, hinc appellatos credimus, quia Mathias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum; Cleros enim Graece, sors Latine, vel haereditas dicitur (1). » (2. Et ideo dicuntur Clerici, quia sunt de sorte Domini, et Domini partem habent; *cit.* cap. *Cleros*, ibi: « Propterea ergo dicti sunt Clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent. » (3. Hinc Clerici describuntur, quod sint *homines Christiani, qui a negotiis, curisque secularibus remoti, servitio, et cultui Divino specialiter sunt deputati.* *Cit.* cap. *Cleros* ibi: « Generaliter autem Clerici nuncupantur omnes, qui in Ecclesia Christi deserviunt; et cap. Duo sunt genera 7. caus. 12 qu. 1. ibi: Duo sunt genera Christianorum, est autem unum genus, quod mancipatum Divino Officio, et deditum contemplationi, et Orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici..... Cleros enim Graece, Latine sors; inde huiusmodi homines vocantur Clerici, id est sorte electi..... Aliud vero genus est Christianorum, ut sunt Laici; Laos enim Graece, est populus Latine, etc. » (4. Clericorum nomen bifariam potest sumi; scilicet large, seu generaliter; et stricte, seu specialiter, magisque proprie. (5. Clericorum nomine large, seu generaliter capto in mate-

(1) Clericorum nomine sequioribus saeculis donatos fuisse, nedum illos, qui Ecclesiae ministerio erant adscripti: verum etiam eos omnes, qui studiis disciplinisque liberalibus perdiscendis vacabant, illorum temporum scriptores passim ostendunt. Oedericus Vitalis Anglus, qui saeculo XII floruit. *Histor. Eccles.* lib. 3. « Rodolphus autem, inquit, quintus Frater, Clericus cognominatus est, quia peritia litterarum, aliarumque artium apprime imbutus est. » Willelmus Gemeticensis l. 3, cap. 10. *Cognomento Clericus quia copiose litteratus erat.* *Speculum Saxonum*, l. 1, art. 3, § 4. *Impossibile est aliquem Clericum nominare, nisi sit doctus.* *Hist. Episcoporum.* Eystetensium in Bavaria. *Iste Joannes Episcopus.... Magnus Clericus in iure canonico fuit.* Hinc apud Gallos idem sonabat vox, *Clerc*, *Clericus*, ac vir doctus, et *Clergie*, *Clericatus*, ac doctrina et scientia. Loca congressit Du Cange *Glossar. med. et inf. Latinit.*, ver. *Clericus*. Inde regis consilarii Clerici dicebantur. *Clerici quoque nomine regis consilarii*, inquit Matthaeus Parisius ad an. 1250. Ea de causa in Epitaphio Guillelmi Ambianensium Episcopi apud Morlerium legitur.

stiens acceptus fuit pro proventibus, e quibus honeste vivere possit. — 51. Differentia inter titulum *beneficentem et patrimoniam*. — 52. Quidam concludendum ex hac differentia. — 53. Clerici ea integritate vivant, ut quae verbo aliis docent, operibus non negent. — 54. Hinc plurima a Clericis sunt plane cavenda, quae enumerantur. — 55. An supremus princeps possit restringere exemptionem Clericorum. — 56. A quibus oneribus immunes sint Clerici. — 57. An immunitas Ecclesiae et Clericorum iure divino sit praecipua et stabilita. — 58. 59. De capitatione. — 60. Optimum et efficacissimum medium conservandae immunitatis bonorum ecclesiasticorum.

ria favorabili veniunt omnes omnino Clerici, sive sint primae Tonsurae; cap. *Cleros* 1. d. 21. cap. *Cum contingat* 22. de *etate, et qualitat. praeficiendor.* (6. Sive in Minoribus, et Majoribus Ordinibus sint constituti; d. c. *Cleros*, et cap. *Clericum* 2. dist. 72. (7. Sive etiam sint Canonici Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiarum; cap. *cum tibi* 18. de *verb. significat.* ibi: « Appellatio Clericorum non solum alios, sed etiam Canonicos comprehendit, et cap. Per exceptionem 9. de privileg. in 6. ibi: Si autem Clerici cujuscunque Ecclesiae eximuntur; tunc tam Canonici, quam alii Clerici eximuntur. » (8. Sive sint in quacunque dignitate constituti, etiamsi sint Episcopi; cap. *Si quis suadente Diabolo* 29. caus. 17. qu. 4. et *Abbas in cap. Cum tibi* 18. de *verb. significat.* num. 4. et in *rubrica de vita, et honestat. Clericorum* num. 8. et 9. *Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiastic. univers. cap. 39. num. 4.* et alii passim. (9. Sive etiam sint Cardinales; cap. *Ex gestis.* 1. de *Clericis non residentibus*, *Barbosa loc. cit.* et alii passim.

(10. Imo in materia favorabili veniunt etiam Monachi, quinimo et Moniales; *dict. c. si quis suadente* 29. caus. 17. q. 4. ubi Clerici et Monachi in materia favorabili, totumque statum Ecclesiasticum respiciente aequi parantur; et licet ibi facta non sit mentio expressa de Monialibus, nihilominus Canonem illum comprehendere etiam Moniales fuit postea declaratum; c. de *Monialibus* 33. de *Sentent. Excomm.* (11. Et quantum ad hoc etiam Conversi,

Clericus Angelici fuit hic Regis Ludovici.

Idem mos, eademque consuetudo apud Italos invaluerat. Sic chronicon Andrense « aliquibus Romanis annitentibus, Hispanum quemdam, Burdunum nomine, satis Clericum ei fecit subordinari. » De Stephano de Vicomercato in Chronico Mediolan. Ord. Praedic. apud Muratorium (*Rerum Italic. script. tom. III, pag. 60.*) dicitur: « Hic fuit in saeculo valde honorabilis Clericus. » Joannes Villanius, l. 4. *Hist.*, cap. 3, scriptum reliquit « post Hugonem Ciapettam regnasse Robertum filium, fuisseque magnum Clericum in scriptura. » Ex quibus, quae adduci possent, monumentis evidenter deducitur XIII saeculo, et sequentibus, ad restorationem usque litterarum in more fuisse positum, ut viri litterati Clerici compellarentur. Haec jam a pluribus eruditis viris fuerunt observata, et illustrata, praesertim a Clariss. Vir. Liberato Fassonio Schol. Piar. in quaestione, cui titulus: *De viro Laico cum Haereticis disputante*, habita in regia Calaritana Academia ann. 1765, impressa Liburni apud Marcum Cotteolini, a qua haec excerptimus. (EDIT. BARRIELL.)

et Conversae; *dict. capit. de Monialibus* 33. de *Sentent. Excomm.* et cap. *Non dubium eod. tit.* (12. Etiam Novitii, et Novitiae; cap. *Religiosos, de Sentent. excomm.* in 6. (13. Item Tertiarii, et Tertiariae Mendicantium in Congregatione, et Communitate viventes, ex Constit. Leonis X. incip. *Dum intra*, edita 1. Mart. 1518. in Concil. Lateranensi sess. 11. (14. Item moniales Tertiariae in propriis domibus viventes, virginalem, et caelibem vitam ducentes ex voto Castitatis de Ordinarii licentia emisso, ex eadem Constit. Leonis X. incip. *Dum intra*. (15. Item Eremitae habitum Eremiticum ex legitima facultate deferentes, et sub speciali obedientia Episcopi, vel alterius Praelati alicui Ecclesiae, vel Eremitorio in Communitate, vel separatim deservientes, istis censentur Personae Ecclesiasticae. Sic Glossa in cap. *Qui vere* 12. caus. 6. qu. 1. *Verb. vero*, afferens quod tales Eremitae gaudent privilegio Clericorum, licet non renuntient propriis; « Fagn. in c. Nullus n. 61 de foro competent. post. Cardin. in Clem. Per litteras num. 9 de Praebend. Innocentius in cap. *Cum Monasterium* 13. de elect. dicens, quod licet Eremitae possint habere proprium, quia non abrenuntiant, tamen Ecclesiasticae personae sunt; Anaclet. lib. 3. *Decret. tit. 1. sess. 1. de vita, et honest. Cleric. et multi alii.* » (16. Item omnes illi, qui assumpto Habitu Religioso, Monialium servituti sunt addicti, et pro illis eleemosynas quaerunt, et prope Monasterium earum more degunt. (17. Sic etiam Laici, qui habitu Clericali incedunt, et inserviunt Congregationi Presbyterorum, qui collegialiter sub certo Superiore modo religioso vivunt. Sic Antonell. n. 22. *Matthaeucci Officialis Curiae, quoad excommunicationem Canonis* num. 10. *Felix Potestas de Ministr. Sacrament. Penitent. c. 3. n. 3560.* et alii. Et colligitur ex c. *Duo sunt genera* 7. caus. 12. q. 1. ubi illud Christianorum genus reputatur inter Clericos, « quod mancipatum Divino Officio, et deditum contemplationi, et orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici et Deo Devoti, videlicet conversi. » (18. Item Equites S. Joannis Hierosolymitani, vulgo dicti *Cavalieri di Malta*; ipsi enim emittunt tria vota substantialia a Sede Apostolica approbata, et sunt vere Religiosi, etsi se invicem percutiant. Pontifex eis concedit, ut ab excommunicatione, hac de causa incursa, absolvi possint ab eorum Priore Sacerdote; cap. *Canonica* 50. de *Sentent. Excomm.* (19. Clericorum nomine stricte, seu specialiter in materia odiosa, cum scilicet agitur de damno, vel incommodo Clericis inferendo, veniunt duntaxat soli inferiores Clerici Saeculares; non autem Canonici, Abbates, aliique in Dignitate Ecclesiastica constituti, nisi secus exprimat, vel aliunde de opposito constet; arg. *Regul. 15. Juris in 6. Odia restringi, et favores convenit ampliari; et Regula* 40. etiam in 6. *In panis benignior interpretatio est facienda;* et tenet Fagnan. in cap. *Bona Memoriae de postulat. Praetor.* num. 12. *Belletus Disquis. Cleric. par. 1.*

§ 2. num. 4. et 5. et sequent. Card. Tusc. *lit. C. conclus.* 337. num. 4. et sequent. *Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiast. cap. 39. n. 6. et seq. et alii passim.* (20. Sic nomine Clericorum in odiosis non veniunt Episcopi, eorumque Superiores, et multo minus S. R. E. Cardinales; arg. c. *Sedes Apostolica* 13. de *rescriptis, cap. Periculosum* 4. de *Sent. excomm.* in 6.

(21. Nec veniunt Canonici, aliique in Dignitate Ecclesiastica constituti; arg. *cit. cap. Sedes Apostolica* 15. de *rescriptis*; ubi dicitur, quod *maiores, et digniores personae sub generali clausula non intelligantur includi;* et cap. *Statutum* 22. de *election. in 6.* Fagnan. in *cit. cap. Bonae memoriae* num. 12. *Abbas ad rubr. titul. 1. de vita et honestat. Clericorum* num. 12. *Barbosa loc. cit. num. 6.* et alii passim. (22. Nec etiam nomine Clericorum in odiosis veniunt Monachi, seu Regulares utriusque sexus, nisi istud exprimat, vel ex subjecta materia, aliisque circumstantiis secus appareat; arg. cap. *A Subdiacono* 5. dist. 93. *Abbas in cap. Non amplius* num. 3. et Fagnan. *ibid. num. 7. de instit. Barbosa loc. cit. num. 9.* Roman. Concil. 219. et 418. *Bellet. loc. cit. ad § 2. num. 26.* et colligitur etiam ex cap. *Si quis suadente* 29. caus. 17 qu. 4. et cap. *Super Specula* 10. *Ne Clerici, vel Monachi*, aliisque consimilibus Canonibus, ubi Clerici, et Monachi, ponuntur tanquam quid diversum.

(23. Habitum, et Tonsuram Clericalem deferre tenentur Clerici in Sacris Ordinibus constituti, et etiam Clerici inferiores, si Beneficium Ecclesiasticum habeant; cap. *Clericus* 8. dist. 41. cap. *Clerici Officia* 15. de *vita, et honestat. Cleric.* Clem. *Quoniam* 2. de *vita, et honestat. Clericorum.* Et Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 6. de *reform.* ibi: « Etsi habitus non faciat Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam Habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. » (24. Imo Clerici in Sacris, seu Beneficiati habitum Ordini, et Dignitati convenientem non deferentes subiciuntur gravissimis penis. Si enim postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem illorum Ordini, et dignitati congruentem non detulerint, sunt in primis puniendi per suspensionem ab Ordinibus, Officio, et Beneficio, et si semel moniti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et Beneficiorum puniri possunt, ac debent; Concil. Trident. *loco. cit.* ibi: « Propterea omnes Ecclesiasticae personae, quae aut in Sacris fuerint, aut Dignitates, Personatus, Officia, aut Beneficia qualiacunque Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per Edictum publicum moniti fuerint, honestum Habitum Clericalem, illorum Ordini, et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi Ordinationem, et mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac Officio, et Beneficio, ac fructibus redditibus, et proventibus ipsorum Beneficiorum, nec non si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per pri-